SYNODVS PROVINCIALIS SALERNITANA

A
LVCIO SANSEVERINO
ARCHIEPISCOPO

Cum consilio, & assensu COEPISCOPORVM

Inchoata VI. Idus, completa verò iij. Idus Maij.
Anno Domini M. D C. XV.



ROMÆ Ex Typographia Cameræ Apostolicæ. M.DC.XVIII.

Questo Lucio, o Luzio Sanseverino fu primo Nunzio Appostolico in Fiandra, indi Arciv.o di Rossano, poi di Salerno ed in fine Card. di S. Chiesa: e ne parlerà co [illegible] ancora nell' Eruditissima opera che sta preparando e se stampa il Sig. D. Ignazio-Maria Como, col Tit. de Pontificibus et S. R. E. Cardinalibus Regni neapolitani.

AD S. D. N. PAVLVM PAPAM V.

BEATISSIME PATER.



Vm prouincialem Synodũ consilio, atque aßensu septem huius prouinciæ Coëpiscoporum vi. idus Maias præsentis anni ex Concilij Tridentini præscripto celebrassem, eius exẽplar ad Sanctitatem tuam, cuius, & auctoritati, & iudicio illud corrigendum, quanta maxima possum, ac debeo, demissione, & obedientia, libens, volensq; subijcio, primo quoque tempore transmittendum curaui, vt à Beatitudine tua eiusdem decreta in hac prouincia probata, ad animarum salutem, ac Dei honorem vndique diuulgentur, ac pro virili seruentur. Deus O. M. Sanctitatem tuam Ecclesiæ suæ incolumen prædiu tueatur, ac seruet. Salerni ix. kal: Iunij M. DC. XV.

Sanctitatis Tuæ

Addictißimus, & humillimus seruus
Lucius Archiepiscopus Salernitanus.

NOS LVCIVS SANSEVERINVS DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS SALERNITANVS

De consilio, & assensu Reuerendissimorum DD. Coëpiscoporum nostrorum in prouinciali Synodo Salernitana hæc statuimus, & sancimus.

De fide Catholica. Cap. I.



T quæ ad religionis cultum excitandum, & ad conseruandam, & amplificandam fidem Tridentinæ Synodi, ac fe. re. Pij Papæ IIII. Constitutionibus de ipsius orthodoxæ fidei professione sancita sunt, inuiolabiliter obseruentur, Episcopi maximè intendant, vt qui ad diœcesanam Synodum conuenerint, quemadmodum in hac nostra prouinciali à nobis, & à Coëpiscopis nostris emissa fuit, fidei professionem faciant. Hi quoque, quibus dignitates, canonicatus, siue parochialia munia in posterum contigerit obtinere, intra tempus post adeptam possessionem bimestre ex eisdem

Conc.

Conc. Trid., & bullæ Pij Papæ IIII. decretis professioni fidei se obnoxios sciant. Item Grammaticæ, cæterarumq; liberalium artium professores, ij etiam, qui vel publicè, vel priuatim legendi, interpretandi, docendiq; munere funguntur, siue sæculares sint, siue regulares, intra mensem in manibus Episcopi, aut eius generalis Vicarij, vel alterius ab ipsis deputati, id præstare omnino debeāt. Parochi verò, si in suis parochijs eiusmodi sint homines, qui fidei professionem non fecerint, Episcopo primo quoque tempore significent.

De fidei rudimentis. Cap. II.


Astores in eam potissimum curam animi vires intendāt, quæ in fidei ministerijs explicandis studiosè exigitur: Scimus enim illud: vèh pastoribus, qui se ipsos pascebant, gregem meum nō pascebant. Quare Conc. Trid. vestigijs insistentes, parochis, vel qui curam animarum exercent, districtè præcipimus, vt dominicis saltem, ac festis diebus, plebem sibi commissam fidei rudimenta, obedientiam erga Deum, & parentes, aliaq; ad salutem necessaria, dato prius campanæ signo, pro eorum captu diligenter edoceant.

Epi-

Episcopi verò parochos quisque suos id negligentes etiam per censuras ecclesiasticas, si oportuerit, ex eiusdem Concilij dispositione compellant.

CAP. III.

Quoniam paucorum malum serpit aliquando latius, & nisi præsens adhibeatur remedium, partem interdum inficit sinceriorem, diligenter inuestigent parochi, an in suis parochijs, in ijs, quæ ad fidem pertinent, sit prauis quisquam opinionibus imbutus, vel eo nomine suspectus, etsi quem eiusmodi depræhenderint, Episcopum eius rei continuò commonefaciant. Omnes item laycos, & idiotas homines publicè, vel priuatim de fide catholica disputare iuxta Sac. Can. dispositionem prohibemus. Si quis autem hæreticos sciret, vel aliquos à communi fidelium conuersatione vita, & moribus dissidentes, eos ad Episcopum deferat, iuxta fel. re. Gregorij Papæ IX. Constitutionem.



De librorum prohibitorum Indice.
Cap. IV.



Atholicæ fidei puritatem perniciosis hæreticorum libris inquinari satis compertum est: ne quid igitur detrimenti ex huiusmodi lectione Christi fidelibus afferatur, studeant Episcopi, vt libri omnes in prohibitorum indice superiorum iussu edito, aut in posterum edendo, signati, neque à typographis imprimi, neque à bibliopolis venales haberi vllo modo possint. Eos verò libros, quorum auctor non satis cognitus est; aut qui in hæreticorum finibus fuerint impressi, aut aliquam hæresim sapiant, absque licentia, Episcopi omnino prohibeant.

De præbenda theologali. Cap. V.



N Ecclesijs cathedralibus, vel collegiatis in insignibus oppidis, vbi theologalis præbenda nondum fuerit instituta, Episcopi quamprimum erigendam curent. At si præ fructuum Ecclesiæ tenuitate, & cleri, populiq; paucitate, ea institui nequeat, magistrum saltem, qui clericos,

cos, aliosq; pauperes gratis doceat, ex Sac. Conc. decreto quamprimùm instituant, & bis, vel semel saltem in mense, conueniant curati vbi fuerit mandatum ab Episcopo, & disputent de casibus conscientiæ.

De verbi Dei prædicatione.

Cap. VI.



Ocendi, & instruendi auctoritas, vt D. Paulus ostendit, missione continetur. Quomodo (inquit) prædicabunt, nisi mittantur? Quare vnusquisque, siue religiosus, siue quomodolibet exemptus, nouerit, ex sacri Tridentini Concilij decretis se in proprijs sine Episcopi benedictione, & in alijs Ecclesijs sine eius licentia nullatenus prædicare debere: & quia Episcoporum præcipuum munus est prædicatio, enixè eos in Domino hortamur, vt per seipsos (nisi legitimè fuerint impediti) aut per alios, prout magis expedire videbitur, populum sibi commissum Dei verbo nutriant, ac pascant. Aduentus potissimùm, & Quadragesimæ temporibus, cùm per ciuitatem, & diœcesim idonei destinantur concionatores, idem

munus à parochis ex sacro Concilio Tridentino in proprijs parochijs implendum curent: Sin autem ex parochi inscitia, siue alio legitimo impedimento id præstari non possit, homiliæ alicuius, siue Cathechismi, aut alterius spiritualis libri lectione id compensandum studeant. Episcopi prædicandi rationem concionatoribus proponant, vt catholicã, sanamq; doctrinam prædicent: à recensendis hæreticorum opinionibus, & ab alijs, quæ ad curiosam potius tractationem pertinent, prorsus abstineant: & vitia vehementius detestari, virtutes disseminare, & eas in auditorum animis inserere pro viribus conentur; vt quisque æternis deterritus pœnis ad cœlestis vitæ præmia assequenda inflammetur. Populo, cùm sacra verba faciunt, soluendi decimas necessitatem insinuent, & quid ea de re sacra Concilia, ac Tridentina synodus statuant, vt excommunicationis pœnas effugiant. Ecclesiastica bona occupantes acerrimè reprehendant, eiusdem sacrosanctæ synodi aduersus eos censuras significantes. Neminem particulariter redarguant, sed vitia in communi reprehendant, quò populus non odio, sed charitate id agi intelligat. Ad præcepta diuina seruanda, pietatisq; opera exercenda, auditores sæpius cohortentur, earumq; præstandarum rerum viam aperiant. Curent maximoperè, vt quod ore prædicant, opere compleant, ex Apostolo, Nè cùm alijs prædicent, ipsi reprobi efficiancian-

ciantur. In prædicando à repræsentationibus abstineant, ne populo scandalo sint. Noctu nunquam, sed interdiù concio habeatur; quo quidem tempore nec missæ, nec diuina ófficia celebrentur. Episcopos, aliasq; personas ecclesiasticas in Domino hortamur, vt sacras conciones frequentent, quò laycis sint exemplo, eosq; ad Dei verbum audiendum christiana, vt decet, charitate impellant. Episcopi distinctas sedes mulieribus, ac viris, quoad fieri potest, constituant. Concionatores eleemosynas ab ijs, qui spontè largiuntur, accipiant tantùm. In eam tandem Episcopi curam incumbant, vt laudábiles ea de re seruentur consuetudines.

De imaginibus, & repræsentationibus sacris, deq; Sanctorum reliquijs.
Cap. I.



IRCA sacras imagines dispositio omnino seruetur Sac. Conc. Trid. ne nouæ imagines, vel quæ scripturarum traditioni, vel historiæ veritati aduersantur, aliquo modo in ecclesia, vel alibi suspendantur, nevè in ijs inhonestum quid, seu contra prothotypi dignitatem immisceatur; sed tales sint, vt ad pietatem intuentium animos rapiant: eadem quoque in tabellis, quæ

voti causa offeruntur, omnino seruetur. Neque nouæ imagines depingantur inconsulto Episcopo.

CAP. II.

Repræsentationes sacræ licet ex se se ad pietatem inducant, quia tamen hominum eò vsque peruenit malitia, vt risus occasionem ex ijs interdum arripiant, ideoq; contemptui eas habeant, rarò, ac magna cum maturitate permittantur; sed à doctis concionatoribus tum illæ, tum Sanctorum Martyrum gesta populo ad imitationem, venerationemq; excitandam, piè declarentur.

CAP. III.

Vt Sanctorum reliquiæ, quæ aliquando viua Spiritus Sancti templa fuerunt, ea qua decet, reuerentia habeantur, quos Sac. Conc. Trid. Canones edidit ab Episcopis ritè obseruentur, & non, nisi probatæ, in decenti ecclesiæ, vel sacristiæ loco, tutò, religioseq; custodiantur.

De magicis artibus. *Cap. I.*



Callidus humani generis hostis, qui vel ipsi Deo pro viribus aduersatur, nihil sibi aliud propositum habet, nisi homines, ad quos

redi-

redimendos filium ſuum vnigenitum Deus miſit in mundum ad ima diuerſis fallacijs impellere. Hoc autem vt præſtet, cum alias adhibet machinas, tum magicas artes vbique proſeminat. Studeant ergo Epiſcopi huius perniciei radices penitus euellere, pœnas infligendo ijs, qui magi, vel malefici fuerint, quivè tacita, vel expreſſa dæmonis inuocatione ad morbos corporibus inferendos, vel auferendos, aut ad aliarum rerum immutationes aliquid operantur, quod neque naturæ viribus, neque Dei, aut eccleſiæ inſtitutione conſequi poſſint: Ijs etiam, qui aëri, ventis, procellisq; imperare, & his ſimilia profitentur: Ijs denique, qui anulos, ſigna, aut quæuis alia ſuperſtitioſi generis fecerint, etiam ſi verba diuina, & ſancta videantur.

Diuinationes ex aëre, aqua, terra, igne, omina ex animatis, ſiue inanimatis, ex corporis lineamentis, ſomnijs, characteribus, & alijs tum à diuina lege, tum à ſacris Canonibus aliena, omnino in ſuis quiſque diœceſibus prohibeant. Ea verò agentes, conſulentes, vel auxilium, conſilium, fauoremvè præſtantes, necnon ij, qui in itinere ineundo, ſiue alterius rei initio ſtata temporum, dierum, horarum, auium, cæterarumq; animantium voces, volatus, motusq; vanè obſeruant, grauiter ab Epiſcopis puniantur.

In aſtrologos autem, qui ex ſyderibus contin-

gentia futura, quæ ex mero voluntatis arbitrio pendent, asserunt, iuxta fel. re. Sixti Papæ V. super hoc editam constitutionem, seuerè Episcopi procedant.

De Blasphemia. *Cap. I.*



VIA in eam curam intendimus, vt quam à maioribus nostris religionē accepimus, eam, quantum est situm in nobis, conseruemus, & posteris integrā, inuiolatamq; tradamus, curent Episcopi, vt blasphemiæ vitio, quod adeò inoleuit, pro viribus occurratur. Cùm autem blasphemos in suis diœcesibus esse Episcopi senserint, pœnis in eos animaduertant, quæ à Sacris Canonibus, & præcipuè fel. re. Leonis Papæ X. constitutione statutæ sunt. Qui autem in Deum, Beatissimam Virginem, Sanctosq; alios maledicta à quopiam pronunciari audierint primùm suauiter monendo, mox grauiùs obiurgando eum corrigant; quòd si non resipiscat, iuxta euangelicum fraternæ correctionis præceptum ad ecclesiam deferant.

De festorum dierum cultu. Cap. I.



VONIAM in omnipotentis Dei cultum iam inde ab ipsis Catholicæ Ecclesiæ incunabulis ad diuinas laudes à fidelibus celebrandas festi dies instituti sunt, Episcopi in illorum obseruantiam maximè inuigilent, ac strenuè prohibeant, ne per eos dies seruilia opera exerceantur, ne quid ematur, aut vendatur, præter id, quod ad eius diei victum, vel ægrorum curationem necessarium fuerit, nec tunc tabernarum fores totæ pandantur, sed mediæ dumtaxat pateant. Doceat præterea populum festis diebus maximè in audienda missa, & alijs diuinis officijs, in concionibus, & orationibus, in recolendis denique maximis Dei beneficijs debere versari; ideo his diebus à ludicris, & inanibus spectaculis, choreisq; abstinendum esset.

De concubinarijs. Cap. I.



ACRVM Concilium Tridentinum præcipit, vt concubinarij layci ter moniti si se à concubinis minimè separarint, vel eis extra domum alimenta præstiterint, excommunica-

tionis gladio feriantur, à qua non nisi concubina dimissa absoluantur.

Mulieres postquam ter admonitæ fuerint, nec ideo obtemperauerint, extra oppidum, aut diœcesim (implorato etiam, si opus fuerit, brachio sæculari) statim eijciantur, alijs Sac. Canon. pœnis in suo robore permanentibus.

Episcopi verò, quibus animarum saluti consulendum est, pro huius dispositionis effectu inuigilent, & tam piam, ac salutarem dispositionem obseruent.

De Sacramentis. *Cap. I.*



CCLESIAE domum, cuius constituendæ causa Dei filius tam immanissimo supplicij genere mactari passus est, super septem, quas excidit, Sacramentorum columnas mirificè ædificauit, vtque humana imbecillitas peccati vulnere saucia præsens haberet vsquequaque remedium, septem sacramenta, vberrimos gratiæ fontes, qui à suo latere quondam emanarunt, in domo sua perennes effluere voluit. Quoniam verò ab hominibus tractantur, Episcopi diligenter inuigilent, vt quæ à sacrosancta Tridentina Synodo,

do, & Rituali romano nuper edito circa illorum administrationem, & vſum ſancita ſunt, omnino obſeruentur.

CAP. II.

Siquibus in parochijs populus ſit adeò frequens, vt ad animarum curam vnus Rector non ſufficiat; Epiſcopi parochum cogant tot ſibi ſacerdotes ad hoc munus adſciſcere, quot ſuo muneri ſatisfacere poſſit: ſin autem ob locorum vel diſtantiam, vel difficultatem, parochiani ſine magno incommodo ad ſuſcipienda ſacramenta non poſſint accedere; nouas iuxta Conc. Trid. diſpoſitionem parochias erigant.

Parochias, quæ non fuerint inter ſe ſe diſtinctæ, Epiſcopi certis finibus diſterminandas curent.

In ſacramentis adminiſtrandis (pœnitentiæ præſertim) tacitè aliquid, ſiue expreſsè recipi, vel peti, omnino prohibemus. Si autem poſt eorum adminiſtrationem eleemoſynaliter eis erogatum quid fuerit, id recipi permittimus.

CAP. III.

Graue peccatum eſt vel ſacramenta adminiſtrare, vel ea ſuſcipere in peccato; ideo parochi antea per ſuorum delictorum expiationem ſe præparent,

& à suis parochianis idem fieri, cùm ad ea suscipienda accedunt, diligentissimè studeant.

CAP. IIII.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritus, qui in baptisterio, vel Rituali præscribitur, in sacramentorum administratione seruetur, atque ea tantùm ministret parochus, siue alius ab Ordinario specialiter approbatus ad curam animarum, de eius licentia, superpelliceo, & stola indutus, nisi aliter necessitas, seu legitima causa suaserit. Curent præterea parochi ad sacramentorum frequentationem populum sibi commissum sæpius cohortandum, ijsq; eorum vim, & vsum pro audientium captu declarandum.

CAP. V.

Cùm parochi ad aliam transmigrant parochiam eius libros ad animarum curam spectantes; in quibus nimirum status animarum, baptizati, confirmati, quiq; matrimonium contraxerunt, descripti fuerint, ac inuentaria rerum immobilium, & mobilium, ac alias scripturas ad ecclesiam, vel curam animarum spectantes; apud successorem, vel episcopalem curiam deponant; si secus fecerint, ab Episcopis grauiter puniantur. Idem omnino seruent œconomi, vel hæredes parochi defuncti, si quid eiusmodi librorum apud se reperiatur.

CAP. VI.

Poſcit humana infirmitas, vt cùm parochiani in morbum inciderint parochi eos viſitent, & ad ſacramenta hortentur; quin etiam quà par eſt charitate eorum animabus conſulant, ad extremum vſque vitæ ſpiritum animæ commendationi inſiſtentes.

CAP. VII.

In eccleſijs receptiuis, tàm cathedralibus, quàm collegiatis, in quibus cura animarum reſidet penes totum collegium, & actu per canonicos exercetur, deinceps non admittantur ad capitulum qui idonei reperti non fuerint præuio examine ad curam animarũ exercendam; etſi contigerit aliquem, vel aliquos non idoneos admitti, teneantur, quoad vſque neceſſaria ad dictum ſeruitium didicerint, pro rata iuxta taxam ab Ordinarijs faciendã contribuere presbyteris actu curam animarum exercentibus.

De ſacramento Baptiſmi. Cap. I.

COELESTIS atrij ianuam omnibus, niſi baptiſmi lauacro renati ſint, ingredi Chriſtus Dominus prohibuit, vt nimirum tam ſalutaris ſacramenti aquæ, ſi ijs mundaremur, via

essent æternæ salutis assequendæ, si destitueremur ammittendæ. Curent igitur Episcopi vt à parochis infantes quamprimùm in hanc lucem editi fuerint, baptizentur.

CAP. II.

Domi, nisi necessitas vrgeat, baptizare non liceat, sed in ecclesia, adhibitis solemnitatibus, & ritibus à S. R. E. probatis: quòd si domi baptismus necessitate exigente præstandus sit, tunc sacerdos non sacerdoti, sacris initiatus in sacris non initiato, mas fœminæ præferatur, & cum aquæ infusione formam debita intentione adhibeant, dicendo; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

At si infans domi baptizatus superuixerit, statim ad ecclesiam afferatur, vt baptismi ceremoniæ suppleantur, tuncq; parochus diligenter exquirat, quæ verborum forma, quæque materia adhibita sit, & re perspecta infantem rectè baptizatum inueniens, ceremonias baptismi, forma omissa, solemnitatesq; suppleat.

CAP. III.

Infantes de sacro fonte susceptos à patrinis Catechismo erudiendos, & symboli capita, ac præce-

pta Decalogi, & moribus instruendos, si parentes id facere omiserint, parochi admoneant.

CAP. IIII.

Sacristæ, aut alij pro sacro oleo nihil petant, aut exigant, aliter ab Episcopis puniantur.

CAP. V.

Librum habeant parochi, quem etiam accuratè custodiant, in quo eorum, qui baptizati fuerint, parentum, & patrinorum nomina, & cognomina, diem natiuitatis, & baptismi, iuxta formam Ritualis romani nuper editi, describant. Insuper volumus, vt eius exemplum quotannis præsentent Episcopis, qui illud in archiuio seruandum curabunt.

Hec eadem habet de matrimonio cap. 2. pag. 20

CAP. VI.

Moneant puerperas parochi, vt cumprimùm domo exierint ad ecclesiam Deo gratias acturæ, & à sacerdote benedicendæ accedant.



De sacramento Confirmationis. *Cap. I.*



ONFIRMATIONIS sacramentum, quod à Christo Domino institutum ad nosusque continuata apostolicæ doctrinæ successione peruenit, aduersus humani generis hostes, qui tot, & tam atrocia bella excitant, necessarium semper fuisse veteres Sancti Patres docuerunt. Episcopi igitur tantum hoc administraturi sacramentum parochos admonendos curent, vt parochiani quanta maxima possunt animi puritate, fide, ac religione ad illud suscipiendum accedant, eiusq; vim, vsum, dignitatem ex romano Cathechismo populo explicent.

Doceant in primis, diuinæ gratiæ præstari incrementum ab hoc sacramento, ideoq; grauiter peccare adultos, si cum lethalis conscientiæ labe accedāt, maximumq; ab ijs committi scelus, qui illud iterare præsumunt.

CAP. II.

Patrini non admittantur ij, qui hoc sacramentum nondum susceperint.

CAP. III.

Parochi confirmatorũ librum conficiant ea propemodum forma, quæ fuit in baptiſmo præſcripta.

De Euchariſtiæ ſacramento. Cap. I.



OELESTIS opifex humanæ naturæ, qui ſe ſe ineffabiliter illi coniunxit, vt hominum ſalutem operaretur, ſe quoque ipſum in animæ, & corporis mirificam eſcam, ac refectionem donauit. Quare in diuina mẽſa ſub panis, ac vini ſpeciebus expoſitum intelligimus Agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, incruenter à ſacerdotibus oblatum ſacrificium. Parochi igitur tantum hoc ſalutare, & futuræ vitæ pignus à fidelibus frequentandum populum doceant, aſſidueq; cohortentur.

CAP. II.

Sacri Lateranenſis Concilij ſub Innoc. III. celebrati decreto inherentes mandamus, vt eos, qui in Paſchate ſacram euchariſtiam non ſuſceperint, dominicæ reſurrectionis octaua iam elapſa, parochi ad Epi-

Episcopum, vel Vicarium generalem denuncient, vt in eos censuris, & pœnis iuxta sacrorũ canonum dispositionem animaduertatur. Eos autem excipimus, qui proprij vel parochi, vel confessarij cõsilio, ex necessitate, siue alia iusta causa, illius salutaris cibi sumptionem distulerint, aut alia ex causa ab Episcopo, aut proprio parocho probanda, extra parochiam communicauerint; de qua testimoniales litteras offerent; alioquin contra eos, perinde ac si non communicassent, procedatur.

CAP. III.

Quoniam (vt B. Gregorius ait) ideo homines in comestione salutaris hostiæ fructus non recipiunt, quia ea, quibus se repleuerant, flagitia adhuc portant in mente, à sac. sanc. Eucharistiæ sacramento repelli planè volumus publicos concubinarios, fœneratores, blasphemos, aliosq; publicos peccatores.

CAP. IIII.

De augustissimo Eucharistiæ sacramento parochi, priusquàm ijs præbeant salutaris illius cibi refectionem, adolescentes edoceant, & fidei rudimentis instruant.

CAP.

CAP. V.

In altare decenti, in ligneo quidem, sed deaurato tabernaculo, qua par est structura, seruetur, in duplici repositum pixide, argentea, & inaurata, quarum altera cum Eucharistia ad infirmos, vel aliò deferatur, altera intus pro adoratione remaneat, & continuò coram eo lampas die, noctuq; colluceat.

CAP. VI.

Eucharistiæ sacramẽtum in eius solemnitatibus processionaliter ea qua decet reuerentia ab Episcopo, aut eo legitimè impedito à digniori deferatur, siue à presbytero, ad quem ex priuilegio, aut ex consuetudine spectabit.

CAP. VII.

Cùm ad infirmos à parocho ferẽdum est, aliquot campanæ pulsibus præmoneatur populus, vt frequens eius præstò sit comitatus, ad cuius officij genus sæpiùs illum curatus hortetur. Prætereà nunquam argenteum vasculum, in quo duæ nimirum particulæ ad minus includantur, nisi ex vrgenti causa per Ordinarium approbanda à tabernaculo efferat, priusquam velum circa humeros habeat, &

baldachinum adſit, decenſq; luminarium numerus, ac tintinabulum,& ſic cum deuoto cantu Chriſtum Dominum proſequantur.

Maximè etiam deceret ex Sac. Conc. Trid. ſi diaconi, ac ſubdiaconi ſaltem dominicis, & alijs feſtis diebus ſacra ſe communione reficerent.

De celebratione miſſarum. *Cap. I.*



NEMO, ſiue ſæcularis, ſiue regularis ſacerdos alterius diœceſis in quibuſcunque eccleſijs,& cappellis, aut oratorijs ad rem diuinam admittatur, niſi ſui Ordinarij dimiſſoriales litteras oſtendat. Excipimus autem notos valde ſacerdotes, probatis moribus, ac vitæ integritate maximè inſignes.

CAP. II.

Ante auroram, vel poſt meridiem miſſam celebrari omnino prohibendum. In parochijs, in quibus vna tantùm miſſa habetur, eam hora populo magis commoda celebrari par eſt: neque cuiquam ſacerdoti vnquam ſtatam præuenire horam, eamvè ob alterius imperium poſtponere, maximè autem

in

in altari expectare liceat, nisi ex legitima causa: verùm populi commune commodum potissimùm attendatur.

CAP. III.

Cùm in eadem ecclesia plures missæ celebrandæ sunt, ea ratione singulæ distribuantur, vt prima diluculo, reliquæ verò successiuè, debitoq́ interuallo dicantur: at si eodem tempore ob populi frequentiam, aliavè de causa, plures sint celebraturi, in altaribus ita inter se se dissitis sacrum faciant, vt alter alterum non impediat.

CAP. IIII.

Dominicæ natiuitatis nocte primam tantùm missam media nocte, vel ante crepusculum, alteram in aurora, & successiuè tertiam celebrare iuxta sac. Canon. aduertant.

CAP. V.

In priuatis ædibus iuxta sacri Concilij Tridentini dispositionem missam facere prohibemus, præterquam in oratorijs diuino cultui dicatis, & à sede apostolica concessis, iuxta tenorem litterarum congregationis S. Concilij Tridentini interpretum

ſub die 10. martij 1615. quæ ab ipſo Epiſcopo de more viſitentur.

Item in altaribus, vel cappellis, quæ ſub dio, vel etiam ſub porticu eccleſiæ parietibus adhæreant, niſi parietibus, & porta, aut cancellis bene obſeratis muniantur.

CAP. VI.

Altarium ornamenta, & quæ ad miſſam eſt deſtinata ſuppellex, curēt Epiſcopi, vt munda, ac decentia ſint, corporalia præſertim, ac purificatoria: calices autem mundi, ac bene inaurati habeantur, neque in ijs vlla labes exiſtat.

CAP. VII.

Cùm miſſa ſolemnis celebratur, fidei ſymbolū diſtincta canentium voce recitetur, neque organū, aliudvè muſicum inſtrumentum miſceatur, iuxta ceremoniale apoſtolica auctoritate editum, quod in tota prouincia obſeruari volumus.

Conuiuia, ludi, choreæ, cæteriq;, qui irrepſerunt, abuſus in miſſis celebrandis, ab Epiſcopo omnino tollantur, & contra inobedientes ſeuerè procedatur.

Sa-

CAP. VIII.

Sacerdotes, dum missæ sacrum peragunt, ritus, & ceremonias in romano missali traditas ita planè obseruent, vt nihil ijs, quæ secretò, vel palam dicenda sunt, addant, vel detrahant. Curent autē Episcopi, vt in hac plenè prohiberi doceantur; neque post ordinationem ad missam celebrandam admittantur, nisi prius ab Episcopo, aut generali Vicario, aliovè ad id deputato, circa ritus examinati probentur.

CAP. IX.

Antequam ad tantum persoluendum munus accedant, colligant se etiam, atque etiam aliquandiù orent, Deoq; missa absoluta gratias agant. Vnus saltem sacerdoti minister inseruiat, qui clericus sit, cotta, supertalariq; veste indutus, nisi quid aliud necessitas exegerit.

CAP. X.

E sacristia ad celebrandum non egrediatur, sacerdos, nisi cum bireto, & omnibus ritè paratis, accensisq; candelis, nimirum duabus, quæ non nisi absoluto sacro à ministro extinguantur.

Mis-

CAP. XI.

Miſſas aperto capite celebrent; ſubiretum verò, niſi ex legitima diſpenſatione, non admittatur; remoueatur tamen omnino à principio canonis vſque ad communionem incluſiuè.

CAP. XII.

Populum crebrò admoneant parochi, vt dominicis, ac feſtis diebus de præcepto miſſæ ſacro interſit, quod præceptum tam patres familias, quàm filij, filiæq;, etiam non emancipatæ, & famulæ omnino obſeruent; atque in hanc maximè curam incumbere debent Epiſcopi. Viduas, aliasq; mulieres, quæ ob virorum, aut affinium obitum huiuſmodi præceptum non ſeruant, ad ſeruandum compellant Epiſcopi, vel in ſubſidium per cenſuras eccleſiaſticas, quibus ad hos abuſus, ac ſimiles abolendos vti par eſt.

CAP. XIII.

Sacerdote rem diuinam faciente fideles aperto capite, flexis genibus, deuotè interſint: ad altare non ita appropinquent, vt celebranti ſint impedimento: à colloquijs, & agendis negocijs prorſus

abſti-

abstineant: rursus obambulare, vociferari, aut ad altare verso tergo sedere, siue tale quidpiam, quod scandalum creet, aut sacerdotem celebrantem interturbet, nullo modo facere præsumant, iuxta sanctæ me. Pij Papæ V. constitutionem.

CAP. XIIII.

Episcopi, vt alios exemplo suo ad cultum diuinum, & sacramentorum frequentiam allicere possint, quàm frequentissimè, vel saltem singulis Dominicis, ac festis diebus, nisi fortè legitimè impediantur, missas celebrent. Iisdem parochi diebus sacrum faciant, nisi frequentiùs ecclesiæ consuetudine, vel superiorum præcepto id facere teneantur. Cæteri autem sacerdotes eisdem quoque diebus iuxta Sac. Conc. Trid. disposita tanto se Sacramento reficere non ommittant. At clericos singulis saltem mensibus idem Sacramentum sumere decens esset. Episcopi tandem in diebus quidem solemnioribus missas solemnes canant, in alijs verò diebus Dominicis, & festiuis saltem missis solemnibus, vesperis, & concionibus ad aliorum exemplum assistant, vbi etiam omnes clerici, & presbyteri intersint.



De

De Sacramento pœnitentiæ.

Cap. I.



IRIFICVS humanæ naturæ reparator, nostræ memor imbecillitatis, post peccati naufragium pęnitentiæ sacramētum instituit, vt ea, veluti tabula, peccator arrepta, ad veræ salutis portum, quò secūda Spiritus sancti aura velificabat, tutus appelleret. Parochi igitur partes erunt maximam in eo administrando diligentiam adhibere, nitiq; pro viribus, vt tam salutare sacramentum ab omnibus ritè frequentetur.

CAP. II.

Episcopi valde inuigilent, vt Innocentij III. præceptum de annua peccatorum confessione sub pœna in illius constitutione contenta seruetur. Item alia eiusdem pontificis constitutio, vt medici antequàm ægrotorum curam arripiant eos de hoc sacramento suscipiendo admoneant, neque tertio amplius die, si minus susceperint, eos visitent, nisi fortasse longius tempus ob aliquam rationabilem

causam, super quo eius conscientiam oneramus, confessarius infirmo concesserit. Parochus præterea certior est à confessario faciendus per fidem in scriptis factam, eiusmodi ægrotum peccata sua iam esse confessum: quòd si quis medicorum hæc non obseruauerit, pœnas in sanctæ mem. Pij V. constitutione contentas eum incurrisse declaramus.

Nemo sæcularium ex eodem Concilio Tridentino confessiones audire potest, nisi sit ab Episcopo approbatus, & licentiam ab eo obtinuerit: in ea verò concedenda caueant Episcopi quantùm fieri potest, ne cui eam concedant, nisi sit vita, moribus, ac sufficienti doctrina probatus.

CAP. III.

Parochis, alijsq; confessarijs Episcopi præcipiãt, vt sacris lectionibus intersint, de conscientiæ casibus libros lectitent; & ipsorum casuum conferentiæ sæpiùs interueniant, vel aliàs iuxta locorum qualitatem prouideant.

CAP. IIII.

Confessiones non nisi ex necessitate in priuatis ædibus audiant confessarij. Confessionalium eiusmodi structura sit, vt dextrorsum, ac sinistrorsum

ſuperiùs, ac retro munita ſint tabulis: locus, vbi confeſſarius ſedet, à loco, vbi pœnitens confitetur, diſterminandus eſt interiecta tabula, in qua quidem tabula excauanda eſt feneſtella, cui adhæreat ferrea lamina minutim perforata.

CAP. V.

Mulierum confeſſiones nec ante ſolis ortum, nec poſt eius occaſum audiantur, niſi ex cauſa neceſſaria, vel de Epiſcopi licentia.

Pœnitentes confeſſarius humaniter excipiat, nec eos admittat, qui abſque diligenti examine, & cõpetenti peccatorum dolore, ac ſine propoſito in poſterum non peccandi, accedunt. Si quos furto, vſura, fraudē, vel iniquis contractibus alienum abſtuliſſe, vel falſo teſtimonio, aut detractione proximum leſiſſe, vel piorum legatorum, & decimarum ſolutionem diſtuliſſe, vel alia ratione res alienas retinuiſſe repererint, cautè, ac prudenter ſe gerant confeſſarij, vt reſtitutio omnino fiat, neque nimia conniuentia ea impediatur.

CAP. VI.

Sciant confeſſarij à caſibus Sedi apoſtolicæ reſeruatis, & ab ijs, quos Epiſcopi reſeruauerint, ſe abſque ſpeciali licentia, niſi in articulo mortis, ab-

soluere non posse: & quamuis priuilegia à Sede apostolica obtineant, non tamen illorum vigore ab infrascriptis casibus absoluere possunt, vt sacra Congregatio Episcoporum, & regularium consultationibus præposita censuit sub Dat. Romæ die nona Ianuarij 1601, ac seruata forma ritualis romani nuper editi, scilicet ab ijs casibus, qui in bulla in die cœnæ Domini legi consueta continentur, Violationis immunitatis ecclesiasticæ in terminis constitutionis fel. rec. Gregorij XIV. quæ incipit, Cùm aliàs nonnulli, Violationis clausuræ monialium ad malum finem, Prouocantium, & pugnantium in duello, iuxta decretum sac. Conc. Trid. & constitutionem fel. re. Gregorij XIII. incipientem, Ad tollendam, Inijcientium manus violentas in clericos, iuxta cap. si quis suadente diabolo 17. q. 4. ac iuris dispositionem, Simoniæ realis scienter contractæ, ac etiam confidentiæ beneficialis: Item omnibus casibus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt. Episcopi verò in reseruandis casibus animaduersionibus sacræ Congregationis se conformes reddant, vt admonent litteræ missæ sub die 26. nouembris 1602.

Sciant etiam parochi, & alij confessarij, neminem posse absoluere à censuris latis ab homine, nisi excommunicantem, vel eius superiorem, & idcirco cùm aliquis reperiatur excommunicatus per

ſententiam Epiſcopi, etiam ex cauſa non reuelationis pro rebus deperditis, inconſulto Epiſcopo cum non abſoluant.

De ſacramento extremæ vnctionis.

Cap. I.



VRENT parochi, vt ægrotis dũ integris ſenſibus exiſtunt hoc ſacramentum adhibeatur, vt efficaciùs ad cœleſtis patriæ cogitationem ſe erigant, & ab huius ſæculi curis mentem abſtrahant. In eadem verò infirmitate non niſi ſemel illud infirmo adminiſtrent. Moneat tamen parochus infirmum dum ei ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrat, vt habeat intentionem recipiendi ſacrum extremæ vnctionis ſacramentum.



De sacramento ordinis.

Cap. I.



CVRENT Episcopi, vt ea, quæ in collatione ordinum à sacrosancta Tridentina synodo sunt mandata, diligenter obseruent. Meminerint in primis, ordines non esse conferendos, nisi personis probatæ vitæ, morumq; integritate, ac sufficienti doctrina præditis: quippe dolendum est vehementer presbyteros nonnumquam reperiri, qui vix mediocriter legere sciant.

CAP. II.

In examine ordinandorum ipsi, nisi legitimè sint impediti, interueniant, ascitis sibi sacerdotibus, vel alijs diuinæ legis, & ecclesiasticarum sanctionum peritis: ordinandorumq; genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestigent, & examinent, iuxta eiusdem sacri Conc. dispositionem.

CAP. III.

Nihil pro ordinatione, quamuis spontè oblatum, reci-

recipiant, nè ſub prætextu quidem præſentationis ſcripturarum, & decreti interpoſitione, aliovè quocunque titulo; nevè à ſuis officialibus, miniſtris, vel familiaribus quicquam capiatur, diligenter caueant, niſi decima pars aurei ab eodem Concilio ſtatuta.

CAP. IIII.

Beneficium, penſio, vel ſaltem diſpenſatiuè patrimonium, ad quorum titulum ſunt ordinandi, ad minus ad redditus annuos ſimul ducatorum quadraginta huius monetæ aſcendant, dictumq; patrimonium in rebus ſtabilibus, vel cenſibus conſiſtat, illudq; ordinatus, niſi de licentia Epiſcopi, alienare non valeat, & dummodo tantundem habeat, vnde viuere poſſit. Et de ordinum collatione regiſtrum conficiendum curent penès archiuium curiæ ſeruandum. Ordinandi ad titulum eccleſiæ receptiuæ non admittantur, niſi illius eccleſiæ redditus ſufficiant ad illorum ſubſtentationem, iuxta ſupradictam taxam; & ſtatuatur ibi numerus ordinandorum iuxta quantitatem reddituum; & inuigilent Epiſcopi, vt fraudolentis donationibus huic decreto non contraueniatur.

De sacramento matrimonij.
Cap. I.



PAROCHI, quæ de sacramento matrimonij per eandem Tridentinam synodum sanctè statuta sunt diligenter obseruent, neque quemquam alterius parochiæ ad contrahendum admittant, nisi in vtriusque contrahentis parochia debitæ sint factæ monitiones. At si alterius fuerit diœcesis, nisi de licentia Episcopi, quæ gratis concedatur, vel eius generalis Vicarij, ad contrahendum matrimonium non admittatur, & nisi producat fidem authenticam proprij parochi ab Ordinario approbatam de monitionibus factis, & nullum adesse impedimentum, & contrahentes cum alijs viuentibus sponsalia, vel matrimonium non contraxisse, nisi ob personarum qualitatem, & alias iustas causas iudicauerit Episcopus cum alijs legitimis probationibus posse admitti, & seruetur in omnibus Rituale romanum nuper editum.

CAP. II.

De matrimonijs contractis parochi librum conficiant, qui contrahentium nomen, & cognomen, contractiq; matrimonij, ac monitionum factarum diem contineat, quæ quidem monitiones diebus continuis, & Dominicis, ac festiuis de præcepto fieri debent. Notent præterea in eodem codice, quòd nullum fuerit repertum impedimentum, vel si fuerit, de legitima dispensatione mentionem faciant. Eius porrò libri exemplum singulis annis Episcopo deferant in archiuio curiæ cōseruandum. Quòd si coram alio sacerdote de licentia Episcopi, vel parochi matrimonium contrahatur, in scriptis redigatur, & in prædictum librum inferatur.

CAP. III.

Cùm vterque, vel alter ex coniugibus in ætate legitima non sunt constituti, nimirùm in duodecimo anno mulier, & mas in decimoquarto completis, parochus nec monitiones faciat, nec ad contrahendum per verba de præsenti, nec vt inuicem cohabitent permittat, absque Ordinarij speciali licentia gratis concedenda.

Cùm

CAP. IIII.

Cùm probabilis extiterit ſuſpicio aliquem ex contrahentibus deceptum, & non ſponte ad matrimonium conſenſiſſe, rem ád Ordinarium parochus deferat, vt qua par eſt dexteritate libertati matrimonij per legitima remedia conſulatur.

De beneficiorum collatione.

Cap. I.



N beneficiorum collatione nec collator, nec eius miniſtri, vel familiares quidpiam accipere poſſint, quãuis vltro oblatum, nec vlla, niſi à ſacris canonibus permiſſa pactio interuenire poſſit, iuxta diſpoſitionem extrauagantis Pauli II. Cùm deteſtabile, de ſimonia, inter communes, & Pij V. de confidentijs, quæ incipit, Intollerabilis, ac aliorum ſummorum Pontificum conſtitutiones. Amanuenſes verò, ſecretarij, notarij, vel alij Epiſcoporum miniſtri, quibus munus hoc impoſitum eſt, non niſi vnum aureum accipere pro omnium opera, ſump-

tu, ac labore valeant, dummodo pro eius muneris functione nulla eis constituta sit merces. Ex ea porrò, quam acceperint, pecunia, nihil prorsus emolumenti collatores directè, vel indirectè accipiant.

C A P. I I.

Qui fuerint electi, præsentati, nominati, vel prouisi, in manibus Ordinarij iuramentum emittere teneantur, nihil se muneris, vel aliquid pecuniæ per se, vel per alium dedisse, neque largitioni consensisse pro prædicta electione, præsentatione, nominatione, vel prouisione.

C A P. I I I.

In vacatione parochialium seruetur dispositio sacri Concilij Tridentini, & constitutiones Pij Papæ quinti fel. rec. & tam examinatores synodales, quàm collatores, illud præ oculis habeant, vt omni affectu postposito dignissimum quemque in moribus, ac doctrina, animarum curæ præficiant: quippe mirificè necessaria est populo christiano curatorum bonitas, & scientia.

C A P. I I I I.

Ecclesiarum patroni, vt omnis symoniæ tollatur suspi-

ſuſpicio, nihil ex fructibus beneficiorum percipere, vel ſibi retinere valeant, nec circa adminiſtrationem bonorum beneficij ſe quidquam ingerere, ne ſub prætextu quidem procurationis, conductionis, vel quocunque alio, nec per ſe, nec per interpoſitas perſonas, aliàs tamquam de ſymonia ſuſpectos contra dantes, & recipientes procedatur, vltra pœnas per ſac. Concilium Tridentinum impoſitas ſi quando bona prædictarum eccleſiarum occupauerint, in ſeſſ. 22. cap. XI. de refor.

De vita, & honeſtate clericorum.
Cap. I.



Piscopi ſuam dignitatem tueantur, quæque in ſac. Cōcilio Tridētino cap. 17. ſeſſ. 25. de refor. præcepta ſunt, omnia ritè ſeruent, & quò ad victum, & veſtitum, quemadmodum ab eodem Cōcilio edocemur, pauperem ſupellectilem, ac parcam, & frugalem menſam habeant. In eccleſia non niſi veſte linea, quam rocchettum appellant, induti incedant, iuxta Innocentij III. conſtitutionem.

C A P. I I.

Clerici siue in ecclesia, siue extra, habitum talarem induant, nigri coloris, suo statui conuenientem, & ex decenti materia factum. Cùm verò iter sunt facturi, tunc habitum contractiorem gestare eis liceat; infra tamen genua, iuxta modum per Ordinarios præscribendum; & locis accommodatum; & habitu quidem sint contenti simplici, non inciso, neque artificiosè facto; à turgidis caligis, ac dissectis prorsus abstineant; subuculas ad collum, & ad manus crispas, vel concinne laboratas planè reijciant; calceos, & crepidas ad elegantiam non incidant; anulum non ferant, nisi propter officium, vel honoris gradum, & tunc vnicum, nec magni pretij; personati ne incedant; choreas priuatas, aut publicas non agant, neuè spectent; à venatione abstineant, & præsertim canes secum non ducant, nec accipitres in manibus gestent; comedijs, alijsq; prophanis repræsentationibus nullo pacto intersint; aleatum, ac talorum ludos omnino eis interdicimus, neque eiusmodi ludorum spectatores esse patimur. Si verò valetudinis causa parua pila, vel non indecenti alio ludi genere exercere se se contigerit, id non publicè fiat, neque in eis pecunia intercedat; vel si intercedat, minima sit. Minùs honestis cõuiuijs nè intersint, neq; ad propinanda pocula quẽquã inuitent.

Cle-

CAP. III.

Clerici sacris initiati, vel ecclesiastica bona obtinentes, aduocatorum, vel procuratorum officio coram iudicibus sæcularibus fungi non possint, nisi pro defensione suæ causæ, vel eorũ ecclesiæ, propinquorum, & miserabilium personarum; neq; in profanis negocijs tabellionatus officium exerceant: ac ne qua fraus in prædictis fiat, licentiam priùs ab Ordinario obtineant.

CAP. IIII.

Cuiuscunque generis negociationes ijsdem planè prohibemus, neque earum mediatores, & proxenetas clericos esse volumus. Aliena prædia ne cõducant; neque aliorum tutelam, curamvè suscipiant absque licentia Episcopi; quam eis non nisi in casibus à iure permissis concedat. Fideiussionibus ne inseruiant; neque in laycorum negocijs tã in iudicio, quàm extra, procuratores sint; neque in eorum, quantumuis magnatum, famulatu, nisi in officijs statui clericali decentibus, & de licentia sui Episcopi in scriptis obtenta, se se vlla ratione implicent: honoris etiam, vel officij causa fœminas, quamuis sanguine coniunctas, ne comitentur, aut earũ præcursores, asseclæ, vel famuli sint.

Cùm

CAP. V.

Cùm domeſtica fœminarum cum clericis conſuetudo vix vnquam periculo, & ſuſpicione careat, nulla fœmina quinquaginta annis minor in domeſtico obſequio à clericis haberi poſſit; nec eius ætatis, vel maioris fœmina domum admittatur, quæ cõcubinatus, meretricij, lenocinij, aut ſimilis delicti infamia aliquando laborauerit. Fœminarum verò à ſacris canonibus permiſſarum contubernium nõ interdicimus, niſi ob legitimam cauſam Ordinarijs interdicendum videatur. Domus verò, quæ ad eccleſias, eorumq; patrimonia pertineant, inhoneſtis perſonis, ac moribus, vitaq; ſuſpectis locare non poſſint. De nocte poſt ſecundam horam in hyeme, & primam in æſtate, niſi ex iuſta cauſa, & tunc cum lumine, domo ne pedem efferant, vel extra incedant. Si quando verò clericos concubinas habere, vel alia ratione inhoneſtè viuere (quod Deus auertat) compertum fuerit, eos ſeuerè Epiſcopi puniant, iuxta diſpoſitionem ſac. Concilij Tridentini ſeſſ. 25. c. 24. de refor. & aliorum ſac. Canonũ.

CAP. VI.

Clericis arma deferre, eaq; domi ſeruare, quæ laycis etiam ſunt prohibita, omnino Epiſcopus

non

non permittat; quippe ea homicidia, & scandala sæpè pariunt. At contra inobedientes seuerè procedat; & pœnam incurrant deferentes, scilicet sclopum longum sex mensium carceris, paruum verò triremium per triennium, pugionem per annum cũ dimidio carceris, nisi grauior pœna in aliqua diœcesi sit apposita: nec liceat Episcopis dispensare, nisi ex vrgenti causa legitima, & tunc licentia gratis concedatur. Episcopis tamen liceat prædictas pœnas ex aliqua vrgenti causa commutare; & sicubi praui abusus, ac contrarij inoleuerint, eos penitus abolere seuerissimis legibus, ac pœnis studeãt.

CAP. VII.

Contra symoniacos, & vsurarios Episcopi iuxta sacrorum canonum dispositionem seuerè procedant: similiter contra clericos, & presbyteros, qui cum commatribus, & filijs in sacro fonte susceptis, seu baptizatis, vel cum filijs, aut filiabus spiritualibus se commiscuerint, & contra committentes nefandum sodomiæ peccatum seruent constitutioné fel. rec. Pij V.

CAP. VIII.

Cùm ecclesiasticos deceat esse aliorum in virtute duces, & non in peccatis coadiutores, præcipitur

clericis, & ecclesiasticis omnibus, cuiusuis gradus, & dignitatis sint, sub pœna excommunicationis; quòd nullatenus donationes falsas, & in fraudem Vniuersitatum sibi factas admittant; declaramus insuper dictas donationes fraudolentas, & fictitias, esse irritas, & nullas, & nullo modo ab Ordinarijs locorum posse defendi per censuras ecclesiasticas.

De Ecclesijs, & horis canonicis.
Cap. I.



Ccclesias decenter detineri studeant Episcopi; quæ verò dirutæ sunt, vel refici curent, si quo pacto possunt, vel prophanent, seruata forma Tridentinæ synodi sess. 21. c. 7. at cœmẽta, omnisq; earum materia ad prophanum vsum, Deo quippe aliquando consecrata, neutiquam conuertantur.

CAP. II.

In ecclesijs nihil indecens fiat, iuxta constitutionem fel. rec. Pij Papæ quinti, sub datum Romæ kal. aprilis 1566. quæ incipit, Cùm primum §. Vt igitur, tenoris sequentis. Vt igitur Deo optimo

timo maximo, gloriosæ Virgini, & sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorij X. prædecessoris nostri constitutionem innouantes, ac statuta in Tridentino Concilio obseruari volentes, statuimus, & ordinamus, vt ad ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis sanctissimũ Sacramentum adorent, ad nomen IESV Christi Domini nostri cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent, nullus in dictis ecclesijs seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumq; cõmittat, cessent vana, fœda, & prophana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & quæcunque alia, quæ diuinum officium perturbare possunt: Nullus intra ecclesiam deambulare audeat, siue præsumat, dum celebrantur sacra missarum mysteria, & alia diuina officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempserint, præter diuinæ vltionis acrimoniam, nostri quoque arbitrij pœnas incurrẽt: quæ omnia locorum quoque Ordinarij in suis ecclesijs facient obseruari. Quicunque verò in ecclesijs dum ibi sacrificium missæ, & diuina officia peraguntur, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad sanctissimum Sacramẽtum irreuerenter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut diuina officia perturbet, facere præsumpserit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat, præter alias arbitrio nostro imponendas,

& moderandas pœnas, & qui non habet in ære, luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui verò in ecclesijs cum mulieribus impudicis, siue etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in ecclesijs vt supra obscœnis, & inhonestis verbis, aut signis vsus fuerit, aut alia fœda colloquia cum personis quibuscunque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus prætcrea omnibus & singulis cathedralium, collegiatarumq́;, & parochialium ecclesiarum capitulis, rectoribus, vicarijs, sacristis, ostiarijs, & alijs ipsarum custodibus, quatenus prædictos omnes in ecclesijs delinquentes admoneant, & in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinarijs, vel officialibus nostris puniendos deferant; quod si facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrant.

Circa Ecclesiæ immunitatem sacrorum canonũ, & summorum Pontificum dispositiones Episcopi omnino seruandas curent, per pœnas, & censuras in ijs contentas.

CAP. III.

Cùm non solùm internum, sed externum etiam cultum exhibere Domino debeamus, & clerici ad

id explendum sint potissimum instituti, in recitandis horis canonicis Episcopi constitutionem fel. re. Pij Papæ V. in principio Breuiarij romani impressam obseruari studeant; & qui astricti sunt choro, eas in choro recitare, seu canere cogant remedijs in sac. Conc. Tridentino, sac. canonibus, pijsq; consuetudinibus, vel aliàs legitimè statutis.

CAP. IIII.

Ecclesiæ verò ministros Episcopus ad inseruiendum per seipsos cogant; nec distributiones quotidianas eos accipere patiatur, nisi interessentes, exceptis casibus expressis in constitutione fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit, Consuetudinem: quacunque collusione, vel remissione non obstante. Quæ verò ad diuina officia ritè dicenda necesse fuerint, ea prouideat cum duobus saltem de capitulo, quorum vnus ab Episcopo, alter à capitulo eligatur.

CAP. V.

Canonici, & presbyteri capitulum habere non possint quo tempore res diuinæ celebrantur. In qualibet verò Ecclesia cathedrali, seu collegiata, seu receptitia, magister ceremoniarum constituatur, aliqua ei (si fieri potest) assignata mercede, vel per vnio-

nem alicuius beneficij simplicis, vel ex massa communi, vel qua ratione Episcopo maximè videbitur: ad eumq; pertineat quod alios deceat indicare, & quidquid circa recitationem officij, ritus, & cæremonias agere quisque teneatur, præterquam ea, ad quæ alij ex priuilegio, vel consuetudine sunt deputati.

CAP. VI.

Dictæ quoque ecclesiæ vnum, pluresq; sacristas pro necessario habeât, quorum vnus saltem sit in sacris constitutus, qui vasa, ac sacram ecclesiæ supellectilem nitidè, & accuratè custodiat, vinum, hostias, candelas, lampades, aliaq; eiusmodi ad diuinũ cultum necessaria præparet, aquam benedictam singulis hebdomadis renouare meminerit, altare maius, aliaq; altaria, dominicis potissimùm, ac festiuis diebus decenter exornet, & hora congrua ipse, vel alius eius loco, campanas pulset, matutini, missæ, vesperarum, aliarumq; horarum canonicarum signum edat, inuigiletq; potissimùm ne spoliẽtur altaria, nec quicquam ab ecclesijs surripiatur, populum propriùs ad sacerdotem rem diuinam facientem accedere non patiatur, in ecclesia dormientes, vẽdentes, ementes, deambulantes, colloquentes, mendicantes, aliaq; indecentia facientes, vel quocunque modo diuina officia perturbantes, inde expellat, bruta item, & canes abigat, atque in omnibus clericorum, qui ipsum adiu-

adiuuare teneantur, auxilium adhibeat, in ſacriſtia laycos verſari non ſinat, etſi qui in ea inania verba profuderint, rixas, iurgia, clamores excitauerint, eos confeſtim arceat, vel ad ſuperiores deferat, tabellam in ſacriſtia retineat, in qua omnia onera miſſarum illi eccleſiæ incumbentia deſcribat, item eleemoſynas pro miſſis celebrandis indies collatas diligenter notet, notet præterea in alio codice miſſarum adimplementum, quo ſcilicet die, & à quo celebratæ ſint, quod etiam in quibuſcunque alijs eccleſijs, in quibus eſt celebrandi onus ſeruetur; niſi prædicta officia ex priuilegio, vel conſuetudine ius faciendi pertineat.

CAP. VII.

In ijſdem eccleſijs cathedralibus, collegiatis, & receptitijs punctatores eligantur, qui non intereſſentes miſſis, alijsq; diuinis officijs, vel aliud quidquam in ijs inordinatè, ac perperam facientes adnotent, & de eis ſingulis duobus quibuſque menſibus Epiſcopum admoneant, qui ſecundum conſuetudinem, vel ſtatuta eccleſiæ pœnas imponat.

CAP. VIII.

Vt exorcizandi munus debitè fiat, id nemo incōſulto Epiſcopo exerceat, qui eiuſmodi officium non niſi ætate, & moribus probatis committat; caueant

veiò

verò omnes, ne exorcizandis quisquam quæstus, vel curiosa percuntatio, præsertim quæ ad diuinationẽ pertinet, vlla ratione interueniat.

CAP. IX.

Horæ canonicæ, & missæ conuentuales in ecclesijs cathedralibus, & collegiatis, ac receptitijs secundum ritum Breuiarij romani, & dispositionem constitutionis fel. rec. Pij Papæ quinti in choro recitentur, in quibus nihil indecorum, nihil prophanũ admittatur, sed omnia deuotè, ac decenter fiant, ita vt missas audientibus deuotionem parere, & augere possint: cantus verò prophani in ecclesia aliquo modo non audiantur: in choro omnes canant, nec priuatim officium recitent, sed vnà cum alijs diuinas laudes psallant: neque prophana negocia in ecclesia, vel sacristia tractent, nec litteras, libros, aliaq; scripta in choro legant.

CAP. X.

Vasa, vestes, & alia ornamenta sacro vsui destinata ad prophanum vsum non accommodentur, aliàs contrafacientes arbitrio Ordinarij grauiter puniantur.

Pro-

CAP. XI.

Proceſſionibus, præſertim ſanctiſſimi Sacramenti, nihil prophanum admiſceatur: in ijs, & in eccleſijs edendi, bibendiq; conſuetudines abolere omnino Epiſcopi ſtudeant: ijs quoque interſint omnes, qui de iure, vel conſuetudine tenentur aſſociare, ab eccleſia vnde exierint, quòad completæ fuerint: præferantur cruces non à laycis, ſed à clericis veſte talari, & cottis indutis: & generaliter tam dignitates, canonici, & presbyteri, quàm in miſſis clerici, horis canonicis, exequijs, & proceſſionibus non niſi cùm cottis, & habitu eorum ſtatui conuenienti interſint; aliàs pro modo culpæ ab Epiſcopis puniantur, & de diſtributionibus, & alijs obuentionibus non participent.



De

De residentia. Cap. I.



RAELATORVM residentia quàm sit vtilis, ac necessaria, in cathedralibus præsertim, & curatis, sacri canones, Concilium Tridentinum, & summorum Pontificum constitutiones satis, superq; demonstrant. Idcirco curent Episcopi, vt quæ ab ijs sancita sunt æque obseruent ipsi, atque à suis subditis obseruari faciant, eosq; (si opus sit) cogant etiam ad id pœnis in illis contentis. Studeant præterea Episcopi, & parochi, vt alijs non modestia solùm corporali, sed multò etiã magis moribus exemplo sint, &, vt princeps Apostolorum loquitur, forma facti gregis ex animo. Parochi verò, qui prope ecclesiam, vel certè intra eius fines habitent, per se ipsos curam animarum exerceant, quamuis alios quoque sacerdotes sibi adsciscere teneantur, vt muneri satisfaciant suo.

CAP. II.

Episcoporum munus est vultum gregis sui studiosè prospicere, quæq; iuuare eum possunt diligẽter aduertere. Idcircò omnem planè diligentiam adhi-

adhibeant, vt commiſſi ſibi populi neceſſitates cognoſcant, ijsq́; opportunè ſubueniant: ea de cauſa Vicarios foraneos, vel alios probatæ vitæ viros in locis, vel regionibus ſuarum diœceſum, quibus viderit Ordinarius expedire, conſtituant, qui ſingulis ſaltem annis ter, aut quater ipſum commoneant de animarum cura, ac ſollicitudine, de eccleſiarum parochialium ſtatu, & cultu, de doctrina chriſtiana, nū ſcilicet ea tradatur, de vita, ac moribus clericorum, num quis in publico peccato perſiſtat, an ſeruentur conſtitutiones ſynodales, & concilij prouincialis, vel quæ in viſitatione mandata ſunt, ac denique de omnibus ad diuinum cultum, ſeruitiumq́;, & animarum ſalutem ſpectantibus.

CAP. III.

Curatus librum habeat, in quo omnium, qui in eius parochia ſunt, nomina, & cognomina, eorum filios, ac familiares, ſingulorum ſexus, ætatem, & ſtatum, vita functos, confeſſioni aptos, & ad communionem idoneos, ad parochiam aduenientes, ab ea decedentes, fideliter ſcribat: hunc verò librum ſingulis annis ad curiam epiſcopalem tranſmittat, iuxta formam Ritualis romani.



De funeribus, & exequijs.
Cap. I.



N exequijs, & funeribus laudabiles consuetudines Episcopus obseruare faciat, neque vltra consuetum exigi permittat, & sicubi parochorum, vel presbyterorum arbitrio quidpiam exigitur, nec certum statutum est, Episcopus determinet quantùm mercedis sit soluẽdum pro substentatione, ac victu ministrorum, qui funeri operas impendunt, vt ne quid supra id recipere valeant; si quid tamen eleemosynaliter, & spontè eis tribuitur, accipere possint: pauperes, ac tenues personas gratis sepellire teneantur. Corpora defunctorum nemini ad ecclesiam deferre liceat absq; Ordinarij, vel parochi licentia; atque in hoc regulares seruent decretum factum à sacra Congregatione negocijs Episcoporum, & regularium præposita sub die 12. Ianuarij 1604. in quo declarat, & statuit, non licere regularibus cuiuscunque ordinis, etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu, parochias cum cruce processionaliter, aut aliàs, ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel

illa

illa leuare, & afferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti parocho, eoq; ibidem præsente, si tamen is aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus venire expresse omnino recuset.

CAP. II.

Defunctorum corpora nulli liceat in ecclesia sepellire pauimentum ecclesiæ deuastando, neque in solo, & eminenti loco, iuxta constitutionem fe. rec. Pij Papæ quinti; sed in sepultura opere fornicato, & lapideo cooperculo munita, ac pauimēto equata reponantur; sicubi verò sunt cœmeteria, laudabilius esset non in ecclesia, sed ibi corpora sepelliri.

CAP. III.

Cùm ex doctrina Apostoli fideles defuncti non sint plorandi, sicut & cæteri, qui spem non habent, præcipitur parochis omnibus, alijsq; quibuslibet ecclesiasticis, vtsi mulieres funus sequentes, & immoderatè defunctum deplorantes, voluerint ecclesiam ingredi, cessent omnino à celebratione exequiarū, relinquēdo corpus defuncti ad ianuas ecclesiæ, quousque dictæ ploratrices discedant, & officium sepulturæ absque perturbatione, & qua decet deuotione fieri possit.

De bonis ecclesiasticis.

Cap. I.



EPISCOPI, capitula, atque omnes beneficiati, siue cum cura, siue sine cura, intra sex menses, diligenter, adhibitis duobus testibus fide dignis, per notarium publicum authenticatum conficere teneantur inuentarium bonorum omnium stabilium, & scripturarum suæ mensæ, suiq; beneficij, illudq; in archiuium episcopale, sicubi est, seruandum tradere, sin minus illud faciendum, ac muniendum clauibus curet Episcopus, quarum altera per ipsum, vel ab eo deputandum, altera per electum à capitulo detineatur; in quo omnes scripturæ tam mensæ Episcopalis, quàm capituli, & aliorum beneficiorum fideliter custodiantur, & per inuentarium prædictis custodibus omnia consignentur.

CAP. II.

Deputentur singulis annis per Episcopum, vel alios, ad quos ex consuetudine spectat, reuisores duo

duo omnium bonorum immobilium Episcopalis mensæ, capituli, canonicorum; atque alij in singulos locos pro reuidendis stabilibus bonorum ecclesiasticorum, & locorum piorum diœcesis, qui diligenter bona recognoscant, an scilicet bene sint culta, an reparatione indigeant, num à quopiam occupentur, & de omnibus Episcopum admonere teneantur, vt is debitè prouideat, & negligentes puniat.

De visitatione. *Cap. I.*


VM ad diuini cultus augumentum, animarumq; spiritualem profectum visitatio maximè conducat, studeant in primis Episcopi iuxta statuta in Sac. Conc. Tridentino, alijsq; sacris canonibus, in ea se gerere, atque ad animarum salutem omnem visitationis industriam, curamq; conferre; competenti pro locorum qualitate sint contenti comitatu; ab omni, quamuis vltro oblato, munere se se abstineant; caueant ne clero sint nimium onerosi; exquisita, ac multiplicia fercula non requirant, sed ea dumtaxat, quæ ad decentem, ac frugalem victum sunt necessaria: inuigilent præterea ne quid etiam à suis familiaribus

reci-

recipiatur, & si quando iuxta sac. Canonum permissionem in pecunia arbitrio visitandorum procurationem recipiunt, illa victus competentis extimationem non excedat, nec tunc aliquid ratione victus capere ob visitationem possint, eamq; celerrimè, debita tamen cum diligentia, absoluant.

CAP. II.

Studeant in visitatione potissimùm corruptis moribus reparandis, peccatoribus ad pœnitentiam reducendis, rixis, ac dissensionibus componendis: de vita, & moribus, præsertim clericorum, à fide dignis inquirant, & num adsint hæretici, vel de hæresi suspecti, concubinarij, vsurarij, blasphemi, alijq; publicè peccantes, ac quadragesimam, & ieiunia, dies festos, & alia ecclesiæ præcepta non seruantes, decimas non soluentes, & qui semel in anno sua peccata non sint confessi, neque in Paschate sacra communione refecti.

CAP. III.

An sanctissimum Sacramentum, sacrum oleum, & fons baptismalis decenter seruentur, an ecclesiæ quo par est nitore, ac decentia detineantur, an sanctorum reliquiæ tuto, & conuenienti loco asseruentur, ac competentem, & nitidam supellectilem habeant,

beant, ac necessarij, si qui sunt, libri, & ecclesiarum scripturæ tutò seruentur, an cœmeteria deuotè sint constructa, et si quid reparandum, emendandum, & instituendum sit, pro sua potestate edicant, quæ consecranda sunt altaria, consecrent, confirmandos denique sacro chrismate confirment.

CAP. IIII.

De clericis, & presbyteris inquirant an rectè sint ordinati, an ordinem suo muneri necessarium susceperint, an beneficia legitimè obtineant, an in habitu, & tonsura incedant, an sordidis vel artibus, vel negociationibus, alijsq; suo statui indecentibus implicentur, an suarum ecclesiarum, ac beneficiorum iura tueantur, an sufficienti cultura possessiones, ac prædia colant, eorumq; fructus bene dispensent, an inter eos inimicitiæ, & contentiones intercedant, an arma deferant, an ludis prohibitis; & prophanis repræsentationibus vacent, & si quid præterea emendatione indigebit, continuò corrigant.

CAP. V.

Cognoscant de confessarijs, siue sæcularibus, siue regularibus, an debita auctoritate muniti confessiones audiant, an sint probatæ vitæ, ac sufficientis scientiæ, an ludimagistri, & alij professionem fidei

emiſerint, & cætera ſuperiùs decreta obſeruent, an bibliopolæ, & alij libros hæreticos, vel aliàs vetitos, vendant, vel retineant.

CAP. VI.

Perſcrutentur an parochi libros in hac ſynodo præſcriptos habeant, ſacramenta ritè miniſtrent, auguſtiſſimum Euchariſtiæ ferculum decenter ad infirmos deferant, in matrimonijs contrahendis ſacrorum canonum, præſertim Tridentini Concilij, diſpoſitionem, & ritus S. R. E. obſeruent, an diligenter ſuis eccleſijs inſeruiant, illas ſarciant, ac reparent, & an doctrinam chriſtianam diebus dominicis, & feſtiuis pueros doceant.

CAP. VII.

Diligenter etiam inquirant, an ſint qui legata pia non ſoluant, neque exequantur, quomodo parentes in educandis filijs ſe gerant, eosq; bonis moribus imbuant.

CAP. VIII.

In cathedrali Eccleſia, an theologalis, & pœnitentiariæ præbendæ ſint inſtitutæ iuxta ſacri Concilij Tridentini præſcriptum, & ſicubi non fuerint,

eas iuxta eiusdem Concilij dispositionem, vel sedis apostolicæ auctoritate instituendas curent.

CAP. IX.

Denique non hæc solùm, sed & omnia, quæ à sac. Concilio Tridentino, sac. canonibus, summorumq; Pontificum constitutionibus statuta sunt, obseruare pro viribus conentur. Incumbant præterea, vt omnes suo muneri satisfaciant, & si quid tollendum, corrigendumvè fuerit, tollant, & corrigant, & quidquid in diuini cultus augumentum statuendum putauerint, secundùm iuris tramites statuant, & ad puniendos delinquentes iuris remedia, & in subsidium censuras adhibeant.



De piorum locorum adminiſtratione.

Cap. I.



VRENT Epiſcopi, vt in adminiſtratione piorum locorum cuiuſlibet onus, & inſtitutum, per eos potiſſimùm, ad quos adminiſtratio pertinet, adimpleatur, vt in hoſpitalibus diſpoſita per Clem. Quia contingit, de relig. domibus, atque Sacrum Concil. Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 15. & ſeſſ. 25. cap. 8. Inſuper de eccleſiarum, & quorumcunque piorum locorum adminiſtratione rationem reddere Epiſcopo adminiſtratores teneantur, iuxta eiuſdem S. Conc. Trid. diſpoſitionem.

CAP. II.

Bona eccleſiarum, vel piorum locorum immobilia, ſeu mobilia pretioſa nè alienentur, niſi ex cauſa legitima, & debita ſolemnitate, aliàs contractus ſit nullus, iuxta ſacrorum canonum diſpoſitionem: non locentur, niſi publicis propoſitis edictis, nec vltra triennium, nec conſanguineis adminiſtratorum, nec debitoribus eiuſdem eccleſiæ, vel pij lo-

ci, & cum ſufficientibus fideiuſſoribus, niſi vel perſona ſit adeò facultatibus idonea, vt de exactione timeri non poſſit, vel aliàs arbitrio ordinarij res exegerit: ſi verò alienentur bona, vel vltra triennium locentur reſeruato Sedis apoſtolicæ, vel aliorum ſuperiorum ad id poteſtatem habentium aſſenſu, interim eorum poſſeſſio non tradatur, niſi re vera priùs aſſenſus ſit impetratus.

CAP. III.

In petēdis eleemoſynis adminiſtratores ab Ordinario licentiā obtineant, qui eam non concedat, niſi perſonis notis, bonæ famæ, ac probatæ vitæ; quæ vel gratis munus exerceant, vel conſtituta certa mercede; non tamen ſint eleemoſynarum participes, & re vera ad pia opera, pro quibus ſunt erogata, conuertantur; de quibus ſingulis annis Ordinario rationem reddere teneantur; nulloq; pacto eleemoſynas petentes prædicare præſumant, queſtoribus omnino interdictis, iuxta Sac. Conc. Trid. diſpoſitionem.

CAP. IIII.

In hoſpitalibus non admittantur qui verè pauperes non ſunt, qui viribus valentes, qui manibus victum ſibi querere poſſunt, ac præ deſidia mendi-

cando discurrunt; non recipiantur ioculatores, circulatores, & his similes; neque in eis mares cum fœminis, ne sub specie quidem matrimonij, nisi id certissimum constet, habitare permittatur.

C A P. V.

Curent Episcopi, vt præter pias eleemosynas prohibeant publicas, præsertim intra ecclesiæ ambitum, commessationes, cæteraq; huiusmodi, quæ sub specie pietatis à quibusdam piorum locorum administratoribus, & confratribus confraternitatum, & alijs fieri solent certis anni festiuitatibus; non sine bonorum offensione; sed fructuosius talis impensa in pauperum subuentione, & alijs pijs operibus eroganda sit.



De Indulgentijs. Cap. I.



N publicatione indulgentiarum in altaribus, vel mensis publicè non apponãtur capsulæ, peluis, vel aliud vas pro eleemosynis colligendis; quod etiam in ecclesijs confraternitatum obseruetur, iuxta constitutionem fel. rec. Clementis VIII. quæ incipit, Quæcunque, sub Dat. Romæ die 24. Decembris 1604. quæ conditio etiam in concessione publicationis indulgentiarum tam in ecclesijs sæcularibus; quàm regularibus apposita censeatur: oblationes tamen, quæ ex veteri ecclesiæ ritu in ecclesijs pro substentatione ministrorum, vel alijs pijs operibus fieri solent, minimè prohibemus.



De

De regularibus, monialibusq́;.

Cap. I.



PISCOPI in quolibet monasterio monialium, vbi præstitutus nondum reperitur numerus, quamprimùm, iuxta sac. canonum, & Concilij Tridentini præscriptum, monialium numerum statuant, quæ pro modo, & facultate loci, & consuetis eleemosynis substentari commodè possint: neque postmodum numerus augeatur, nisi auctis monasterij fructibus, ac redditibus. Cætera quoque, quæ ab eodem Concilio, & alijs canonibus, & superiorum mandatis sunt statuta, curent vt seruentur. In primis verò circa trium votorum obseruantiam, quæ sunt de religionis essentia, inuigilent: prouideant præterea, vt clausura monasteriorum vndequaque sit tuta, ac decenter munita. Ingredi autem septa monasterij, præterquam in casibus necessarijs, nè ipsis quidem Episcopis liceat: alijs verò ingrediendi licentiam ne concedant, nisi ob causam itidem necessariam, & licentia in scriptis data, prout sac. Conc. Trid. mandat, & constitutiones fel. rec. Greg. Papæ XIII.

Item

Item licentiæ pro construendis nouis monasterijs, & conuentibus regularium, non concedantur, nisi seruata forma sacri Concilij Tridentini c.3. sess. 24. de refor. regul. & præscript. fel. rec. Clem. VIII. sub Dat. Romæ sub anulo piscatoris die 23. Iulij 1603. ac vt in ijs statuatur numerus sufficiens, qui posit ex redditibus, & eleemosynis consuetis commodè viuere, iuxta decretum eiusdem Clementis sub die 25. Iulij 1599.

De seminario. Cap. I.



VT quæ à sacro Conc. Trid. circa seminarij erectiones statuta sunt, ea apertè adimpleantur, Episcopi omnes, in quorum diœcesibus seminarium nondum erectũ est, erigendum, ac stabiliendum curent sufficientibus redditibus, vel per vnionem beneficiorum simplicium, vel per contributionem, in qua ipse etiam Episcopus pro portione contribuere teneatur, iuxta taxam à deputatis secundum formam à Concilio præscriptam electis conficiendam. Si verò diœcesis tam parua sit, vt in ea seminarium excitari non posit, magistrum scholæ deputent, qui clericos pauperes gratis doceat, iuxta eiusdem Conc. dispositionem.

CAP.

CAP. II.

Cùmque mens Concilij fuerit, vt qui illic educantur pueri bonis potissimùm moribus instruantur, ac litterarum studijs erudiantur, idcirco Episcoporum sit cura, vt per rectores, ac præceptores probatæ vitæ ad doctrinam, ac pietatem sic informentur, vt alijs exemplo esse possint: in earum rerum palæstra, quæ parochorum muneri, ac diœcesanorum saluti sit profutura, in primis versentur, necnon in cæremonijs, ac ritibus ecclesiasticis. Et vt meliùs hæc seruari possint, studeant Episcopi aliqua seminario statuta præscribere, per quæ ad litterarum studia, ad orationes, meditationes, pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta, quæ bis ad minimùm singulis mensibus suscipienda ijs essent, aliaq; pia opera dirigantur: alumnos quoque eiusdem seminarij in collatione beneficiorum, etiam per concursum prouidendorum, cœteris paribus præferri par esset.



De

De legatis pijs. *Cap. I.*



T pia teſtatorum voluntas non defraudetur, teneantur notarij infra menſem à die mortis teſtatoris legatorum piorum notitiam dare Epiſcopis, vel eorum Vicarijs generalibus in ciuitatibus, & in alijs diœceſis locis Vicareis foraneis, curatis, vel alijs perſonis ab Epiſcopo deputatis, qui infra alium menſem denunciare Epiſcopo, vel eius generali Vicario teneantur. At Epiſcopi omnem diligentiam, & curam conferant, vt infra legitimum tempus hæredes, & executores teſtamentorum ea adimpleant, quæ tenentur, aliàs per cenſuras, & pœnas compellant.





De foro iudiciali. *Cap. I.*



VM in tribunalibus omnibus, ac præsertim ecclesiasticis, omnis auaritiæ sit tollenda suspicio, propterea statuimus, vt singuli Episcopi, sicubi taxa actorum fuerit, eam obseruari faciant, & contrafacientes grauiter puniant: verùm si quid exorbitans in taxa fuerit, moderentur, & vbi taxa non fuerit, illam huius metropolitanæ ecclesiæ seruent, prout iuri consonum esse videtur. Verùm vt meliùs prædicta seruentur, in principio sui officij tam Vicarij generales, quàm foranei vicarij, notarij, actuarij, &, alij ministri, & officiales eiusdem curiæ de illa obseruanda, ac de fideliter, & integrè eorũ officio exercendo, iuramentum præstent. Episcopi verò Vicarios, actuarios, seu notarios, & alios officiales non nisi probatæ vitæ, & muneri suo sufficientes creent.

CAP. II.

Notarij, & actuarij originales processus, & acta nemini tradant, nisi ex facultate Episcopi, vel Vicarij generalis, aduocatis, ac procuratoribus notis, cum apoca receptionis, in qua de numero car-

tarum

tarum mentio fiat. Acta verò fideliter tueantur, & seruent, & de eis inuentarium conficiant, ne qua ratione ammittantur, aliàs vltra interesse partis grauiter ab Episcopo puniantur.

CAP. III.

In criminalibus publicato processu partibus copiam actorum consignent, nisi ob inopiam partis Episcopus, vel Vicarius generalis aliter duxerit faciendum. In transmittendis actibus alijs iudicibus ordinarijs, vel delegatis, nunquam originale transmittant, nisi quid aliud ex causa Episcopo videbitur faciendum. In ea verò copia nihil extraneum, vel non necessarium apponatur; nihil grandi charactere scribatur, vt volumen excrescat, sed competētibus characteribus, & intelligibilibus omnia exarentur, & si legi difficilè possit, mandet Episcopus, vt eiusdem notarij, vel scriptoris impensis rescribatur.

CAP. IIII.

Pro litteris dimissorialibus, & testimonialibus ordinū vltra decimā partē aurei iuxta præscriptū sac. Concilij Tridentini non accipiant, ne sub prætextu quidem probationis præsentationum scripturarum, pro requisitis, vel alio quocunque prætextu;

neque pro collationibus beneficiorum, & aliorum ſpiritualium, collatores quicquam accipiant: notarij verò, ſecretarij, vel alij miniſtri pro carta, ſigillo, & labore congrua ſint contenti mercede ab Epiſcopo taxanda, quæ vnius aurei valorem non excedat, dummodo tamen ipſis ſalarium nullum pro officio exercendo præſtitutum ſit, & ex pecunia, quam accipiunt, nihil prorſus emolumenti collatores, aut inſtitutores, etiam occaſione ſigilli, vllo modo, directè, vel indirectè percipiant. Quòd ſi in aliquo ex prædictis contrauenerint, ab officio ſuſpendantur, & alijs pœnis pro qualitate criminis arbitrio Epiſcopi puniantur.

CAP. V.

Notariatus, ſiue actuariæ officia non vendantur, nec locentur, nec alia de cauſa pauperes, quibus gratis acta ſunt facienda, grauentur. In cauſis ad ſanctam Inquiſitionem ſpectantibus nihil omnino ſoluatur, ſed acta gratis fiant, iuxta mandatum S. Congregationis ſupremi tribunalis eiuſdem ſancti officij.

CAP. VI.

Vt omnis largitionis, & corruptelæ ſpecies ab eccleſiaſtici fori miniſtris aboleantur, prohibitum ſit Vicarijs, fiſcalibus, notarijs, ſeu actuarijs, & alijs curiæ

riæ officialibus, & miniſtris, aliqua munera recipere, quamuis ſpontè oblata, neque poculēta, & eſculenta ab alijs, aut non niſi poculenta, & eſculenta, prout illis à iure permiſſum eſt, mera liberalitate oblata, aliàs grauiter ab Epiſcopis puniantur, qui diligenter in eorum adminiſtratione inuigilare debent; & quoties vel partes inſteterint, vel ex officio expedire Epiſcopo viſum fuerit, de eorum geſtis rationem reddere compellat, & non ſolùm vt officiales ſuum munus diligēter, & integrè omni poſtpoſito odio, amore, vel præmio exerceant, ſed etiam curare debent Epiſcopi, vt aduocati, & procuratores in ſuis curijs fideliter, & non calumniosè ſe gerant; ſi quos verò calumnijs cauſas differre depræhenderint, à ferendis in eis patrocinijs remoueant.

CAP. VII.

In excommunicationibus, & alijs eccleſiaſticis cenſuris tam pro rebus deperditis, quàm aliàs proferendis, ſeruetur diſpoſitio ſacri Concilij Tridentini, vt non niſi in ſubſidium, & non pro re leui fiant. Eiuſdem Concilij diſpoſitio in mulctis, & pœnis pecuniarijs imponendis ſeruetur, & ad tollendam omnis auaritiæ ſuſpicionem parcè illis vtātur, & quando tales pœnæ imponuntur, pecunia inde peruenta locis pijs diſtribuatur. Idcircò oportunum eſſet, vt Epiſcopus aliquem ſacerdotem ti-

mo-

moratæ conſcientiæ, & facultatibus idoneum deputaret, penès quem eiuſmodi mulctæ deponerentur, quoad de mandato Epiſcopi pijs locis aſſignentur.

CAP. VIII.

In carcerandis preſbyteris, & clericis, præſertim in cauſis ciuilibus, ne ſint faciles Epiſcopi: quod ſi qualitas delicti patiatur, modus in carcerando, vel detinendo ne excedatur curent; & niſi exceſſus enormitas, correctio morum, contumacia, vel alia rationabilis cauſa in carcere detinendos eſſe ſuaſerit, illos ſub fideiuſſionibus relaxent, iuxta conſtitutionem fel. re. Bonifacij VIII. incipientem, Si clericos: & (quod omnino fugiendum eſt) non vtantur carceribus ſubterraneis, vel nimis rigidis, ſed piè ſeuientes, cum pietate, & iuſtitia, ſecundùm iuris tramites, ſolum Deum præ oculis habentes, cauſas terminent, neque tranſactiones faciant, niſi in caſibus à iure permiſſis, & cum ſponte offerentibus, non autem carcerum, & vinculorum atrocitate coactis; & ſi quas fecerint, ſimiliter pijs locis applicent. Carceratis pauperibus alimenta ſubminiſtrent, & ſæpè vel per ſe, vel per alium eos Epiſcopi viſitent, videant ne aſperè à carcerum cuſtodibus tractentur, & num aduerſa teneantur valetudine, vel aliquam neceſſitatem patian-

tiantur, quo casu aliquo opportuno remedio, adhibitis etiam medicis, ac peritis in arte eis subueniãt. Caueant præterea ne illos in carceribus propter carcerum asperitatem mori permittãt, quod à christiana charitate vehementer abhorreret. Deputent tandem Episcopi aliquem, qui miserabilium personarum causas gratis defendat, assignando ei aliquod salarium ex mulctis eiusdem curiæ, vel aliàs, prout magis iudicauerit opportunum.

CAP. IX.

Si quæ pœnæ circa contenta in præsenti synodo non sunt in ea, vel in iure determinatæ, curent Episcopi pro locorum diuersitate, ac delicti qualitate illas determinare, ac etiam arbitrio puniant, prout à cuiusque zelo sperandum est.

Demum omnia in præsenti synodo prouinciali contenta, & statuta, censuræ, & correctioni S.R.E. omnium Ecclesiarum matris, & sanctæ sedis apostolicæ subijcimus.

Ego Lucius Sanseuerinus Archiepiscopus Salernitanus definiens subscripsi.

Ego Antonius Episcopus Sarnensis

ſis definiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Cæſar Lippius Epiſcopus Cauenſis definiens ſubſcripſi.

Ego B. Barzellinus Epiſcopus Campanienſis definiens ſubſcripſi.

Ego Don Petrus de Matta, & Haro Epiſcopus Caputaquenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Michael Reſtius Epiſcopus Nuſcanus definiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Ioãnes Ranus Epiſcopus Acernenſis definiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Thimotheus Caſellius Epiſcopus Marſicenſis definiens ſubſcripſi.

Io. Baptiſta Villanus canonicus ſecret.

Nos

NOS HORATIVS Tt. S. SALVATORIS in Lauro S. R. E. Presbyter Cardinalis Lancellottus fidem facimus, & attestamur, Decreta confecta in prouinciali synodo à Perillustri, ac Reuerendiss. Domino D. Archiepiscopo Salernitano, eaq; ad Sanctissimum Dominum nostrum missa, à Sacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando præpositorum, emendata, recognita, atq; aptata fuisse; necnon eorumdem Decretorum exemplum apud ipsam Congregationem remansisse, cum quo huiusmodi Decreta hoc libello chartarum 38., quarum prima incipit, Synodus Prouincialis &c. vltima verò, Ego Frater &c. & desinit, sigilli Archiepiscopalis, descripta, & collata in omnibus, & per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu subscripsimus, & ab infrascripto Secretario item subscribi, sigilliq; nostri impressione communiri mandauimus. Datum Romæ die xxiij. Augusti anni M.DC XVI.

Hor. Card. Lancellottus.

locus ✠ sigilli.

ProsperFagnanus de Bonis Sac. Cong.
Conc. Trid. Secr.

Imprimatur
Si videbitur Reuerendiss. P. M. Sacri Palatij Apostolici.
Cesar Fidelis Vicesger.

Imprimatur
Fr. Gregorius Donatus Romanus, Magister, & Reuerendiss. P. Fr. Hyacinthi Petronij Rom. Sac. Palatij Apost. Magistri socius, Ord. Prædicatorum.

INDEX



INDEX MATERIARVM



De

JNDICIS FINIS.





R O M Æ

Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ.

M. DC. XVIII.